

Necessario facta προθεράπευσις, quoniam videri poterat a civili et iudiciali genere deficere et quaedam fabulosa contexere de rebus sine dubio scenicis et quasi vulgaribus locuturus. Sed oratorie ad iudicium publicae voluntatis reflectit haec omnia, quibus populus animum 5 suum pro Cicerone nudaverit.

§ 120. De illo senatus consulto, quod factum est in templo Virtutis.

Re vera quidem S. C. de Cicerone revocando factum esse in Capitolio dicitur; quo magis movemur adseveratione 10 Ciceronis, qui nunc dicat in templo Virtutis hoc esse decretum, cum tempore ludorum, qui Virtutis et Honoris dicebantur, adclamations populi reditum M. Tulli flagitaverint, senatus vero nihil ibidem statuerit, nisi si et ibi forte decretum est. 15

Summus artifex.

Actor illis temporibus nobilissimus tragicarum fabularum Aesopus egisse videtur Accii fabulam, quae inscribitur Eurysaces ita, ut per omnem actionis cursum tempora rei p. significarentur et quodammodo Ciceronis fortuna de- 20 ploraretur. Ex quo illud probare contendit, omnes prorsus homines etiam infimae plebis restitutioni suae promptissime suffragatos.

§ 122. O immunes Grai!

Et haec verba sunt de tragoedia, in qua verbum istud 25 innumes ingratos significat, quemadmodum ... munificos dicebant eos, qui grati et liberales exstitissent. Ergo versus omnes tragici ad ipsum Ciceronem ... convertuntur, ut aliud quidem in opere poetico fuerit, aliud vero in ipsius actoris significationibus. 30